







1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
84
91

96

1724.

- 49
- 1^{a. b.} Alberti, Michael: De terminis animationis foetus humani. 2. Sumpt.
2. Alberti, Michael: De singulari Mercurii dulcis usu in vesperatis quibusdam morbis.
3. Alberti, Michael: De venal sectionis in pede grandaevi usu tuto et salutari.
4. Alberti, Michael: De vaticiniis agrotorum.
5. Alberti, Michael: De conscientia medica.
6. Alberti, Michael: De lactorum statu legitimum et morboso.
7. Alberti, Michael: De febre pebricata.
- 8^{a. b.} Bochnerus, Justus Henricus: De variis sacrilegii speciebus et meritis juris civilis. 2. Sumpt. 1724 & 1735.
- 9^{a. b.} Bochnerus, Justus Henricus: De privatione dantis concessionis statutarie in capite vulferii. 2. Sumpt. 1724 & 1737.
- 9^{c.} Bohnerus, Georg. Christianus: De Cyrillo Lucari ejusque pro et contra eorum emendanda certamina libri.

10. Coschitz, Georgius, Daniel: De diarrhoeis proventriculis
 albi et neri
11. Coschitz, Georgius, Daniel: De pleuritidis veras et
~~pro~~ peripneumonice differentis.
- 12^{a. b.} = Feischer, Joannes, Laurentius: De juribus et jure cum
 patiente Legatorum. 3 Decemb. 1724: 1745
- 13^{a. b.} = Gasser, Simon, Petrus: De inutilitate promissionum
 cum juramento dantis et respondentis.
- 13^{b.} = Gasser, Simon, Petrus: De inutilitate promissionum
 cum juramento dantis et respondentis.
14. Gortze, Petrus: De studiis necessitatibus in anatomia
 et physiologia
15. Grabow, Jo., Daniel: Vindiciae Ansthiacae pro aures
 velleris ordine.



[Faint, illegible handwriting on aged paper]



Angustia mitiones variis ob diversos res...

2

1724/19

7

D. MICHAELIS ALBERTI,
POTENTISS. REG. PORUSSIAE CONSILIARII AULICI
MEDIC. ET PHILOS. NATUR. PROF.
PUBL. ORD. ET H. T. DECANI,

PROEMPTICUM IN AUGURALE

DE

VENÆ SECTIO-
NE SENUM.

...in ...



Sanguinis missiones a variis, ob diversos respectus con-
temnuntur & condemnantur, dum pro causa hujus judi-
cii allegatur, quod in multis terræ locis sanguinis subtra-
ctio minus usitata, proinde vero minus frequenter inco-
læ talium provinciarum vel firmiori sanitate præditi, vel
copiosiori ægrotationi subiecti sint; deinde illi casus sol-
licite colliguntur & magno terrore declamantur,
ubi sub legitima etiam ordinatione talis sanguinis ventila-
tio exoptatum aliquando effectum haud præstitit, interim nullum æ-
que dampnum intulit, ubi sub minus congrua commendatione (quam
tamen circumstantiam adversarii callide occultant) evidentior
noxam obtulit; quo referri merentur illi casus, quando nimis fre-
quens talium artificialium sanguinis imminutionum usus nonnullis
subiectis sensibilem virium enervationem & sanitatis iniquam altera-
tionem provocavit; quibus argumentis multi suum annumerant
præjudicium; quod sanguis sit thesaurus vitæ, secundum *Mesuen de re
medica lib. 1. theorem. 1. c. 2.* quod sanguis a Critia, Diogene, Empedocle,
Philone (conf. *Garmannus de miraculis mort. lib. 2. tit. 7. §. 122.*) ha-
beat pro anima; quod sanguis sit thesaurus vitæ & virium, secun-
dum *Helmontium, in tr. potestas medicaminum*, quod sanguis in spiritum
transseat, secundum eundem *tr. de aura vitali*, quod sit instrumentum
animæ secundum *Rod. a Casfr. de Met. Microsc. lib. 2. c. 15.* quod sit in-
dex sanitatis & vivacitatis, secundum *Robertum Fluddium*, quod in
sanguine spiritus, vitæ animalis ministri & protectores hæreant, se-
cundum communem fabulam credulorum medicorum, quod sit bal-
samus vitæ, quod sit primum vivens & ultimum moriens secundum
Harveum de Generat. animal. exercit. 51. p. 193. missis aliis locis tropicus
argumentorum probantium, quæ vero admodum infirma & plebeja
existunt: Ex hisce persuasionibus indiscriminatim sanguinis evacua-
tiones a nonnullis improbantur, quæ sicut junioribus omnino sæ & per-
niciose reputantur, ita tanto magis provectoris aut fenilis plane æta-
tis subiectis inimicæ & fatali termino fatales judicantur: Quemad-
modum vero commune illud præjudicium necessitatem & utilita-
tem artificiosarum sanguinis subtractionum improbens passim enervatum,
subinde etiam demonstratum est, quod singula argumenta,
salubritati subsidiarum evacuationum sanguinearum opposita, ne-
que sobriæ rationi, neque probatæ observationi respondeant, ita u-
nicum momentum ex multis aliis hoc loco tantum in medium profer-
re jubet, quomodo sinceræ & legitimæ methodo naturæ apprime
conforme sit, sponte atque libere cum multa & eximia sæpe euphoria
san-

sanguinem superfluum in diversis ætatum periodis & ex variis corporis locis atque regionibus effundere, quam imitationem prudentes medici suscipientes, minime peccant, sed eandem salubritatem cum eodem adminiculo uberrimis exemplis impetrant, ut illi qui medicis sanguinis missionibus acerrime resistunt, vel nullo, vel levidensi, vel male collecto, vel æquivoco probandi & concludendi nervo instructi, levitatem sui iudicii facile prodant. Id ipsum etiam prifeorum medicorum solidum argumentum fuit, quo utilitatem immi-
 nationis sanguinis therapevticæ, velut ad communes probarunt sensus, quando ipsum conspectum, sanguine turgidum, nonnullorum hominum annotarunt, deinde indubiam non tam pragmaticam, quam practicam salubritatem vicariæ artificialis subtractionis sanguinis approbarunt & indicarunt, porro spontaneorum diversarum hæmorrhagarum eminentem utilitatem variis observationibus comprobarunt, denique perniciem ex suppressis talibus hæmorrhagiis & neglectis artificialibus sanguinis ventilationibus abunde significarunt: Haud vero in generali tali introitu diutius hærerere placet, siquidem præcedentes observationes non nisi in thesi atque titulo allegare placuit; interim in hac disquisitione variæ notatu dignæ decisiones practicæ occurrunt, an videlicet consultum sit *Infantibus, Senibus, Gravidis, Puerperis*, cum *desperato* morbo conflitantibus, nec non personis *adultis*, aut quæ *nunquam* antea sanguinis missionem perpe-
 sisse sunt, artificiales evacuationes sanguineas ordinare: Latissimus sane hujus practicæ considerationis campus patet, ut ferme brevi ambitu atque titulo haud palmaria momenta hujus thematis indicari, nedum quidem explicari queant, propterea succincta evolutione illam quæstionem ventilare lubet *an senibus urgente necessitate venam secure secare liceat debeatve*: Hæc quæstio, ne promiscue proposita videatur, varia quidem offert antea præsupponenda & decidenda, unde brevitati studens mox duplicem movebo aliam quæstionem, 1) *an dentur senes plethorici*, 2) *an talibus senibus conveniat venæ sectio*: Plethoræ existentiam absolute negantes, mihi vix aliqua responsione digni videntur, quos vel innumera phænomena, externis etiam sensibus obvia, & *κατ' ἀνθρακον* probantia, etiam sub altissimo silentio, perfectissime refellunt: quemadmodum vix fide digni, probati, periti & solida scientia (posthabitis præjudiciis) instructi inveniuntur viri, qui propositam observationem in dubium vocare non erubescant: an vero senes etiam hac superflua sanguinis copia onerari queant, varii asseverare si non penitus abstrahunt, ad minimum ambigunt: argumenta si hujus contrariæ sententiæ examinantur, communiter sunt effice-

effemina & plebeja, quibus homo sanitati suæ, uti decet, auscultans & providens, vix ullum assensum præbere debet, quoniam tenor illorum argumentorum nudo aliquo præjudicio aut philosophia coli Doctæ Philosophiæ nititur: quod vero senes plethorici multis exemplis obvii sint, quotidiana docet observatio, & quidem vel ordinariis indubiis, manifestis & solidis circumstantiis, vel extraordinariis positive & privative, directe & ex opposito testantibus argumentis: Prius quod attinet tunc extra omne dubium positum est, quomodo passim a sexagesimo ad septuagesimum ætatis annum proveci senes admodum vivaces, vegeti & activi deprehendantur, qui adhuc bene appetunt, bene & plene ingerunt, bene digerunt, sed ob commodam vivendi rationem & moderatiorem corporis motum, plus ingerunt, quam egerunt, proptereaque succos alimentosos copiosius congerunt, qui nunc minus, in obesitatem vergentes sanguinis plenitudinem ad sensum & per infallibiles causas adaugent; quicunque vero senes jam naturaliter proceriores & obefiores sunt, illi non modo pleniori victu utuntur, sed & pro corporis sui necessaria oppletione sanguinem multa copia coacervant: ex quibus respectibus, naturali argumentandi ratione aliter fieri haud potest, quin ejusmodi senes superfluum sanguinem generare debeant soleantque: deinde in ipsa rerum natura fundatum est, ut, qui in junioribus ætatibus plethorici fuerant, illi etiam in senili periodo, ni morbosæ quædam eminentes & ex alia classe eventientes intercurrent causas, tales perennent: & quid de illis sentiendum erit, qui in senectutis stadio victu non modo pleno, sed largiter alimentoso fruuntur, qui pro reliquo vivido & alacri statu æque multum sanguinis accumulunt, indeque ad diversas morbidas afflictiones disponuntur: inde etiam evenit, ut, qui in junioribus annis sub plena diæta cum multis negotiis atque laboribus sui sanguinis nimiam copiam indies largiori transpiratione exonerarunt, illi nunc in senii periodo quieti & otio indulgentes, pristinae sanitatis eximium decrementum, quod cum coacervatione sanguinis exacte coheret, experiantur: qui ad antiqua negotia redeuntis aut sanguinis spontaneas vel artificiales evacuationes denuo suscipientes, in pristinum iterum sanitatis statum revertuntur: Quemadmodum præmissæ considerationes ad senes maxime mares referri debent, ita eadem non modo ad sequiorem sexum applicari possunt, sed & seorsim in hoc respectu attentam observationem hæc disquisitio meretur, quomodo feminae largis uterinis sanguineis menstruis æque ac lochialibus fluxibus purgatæ, post utrorumque cessationem facile superfluum colligant sanguinem, indeque in insolitos morbos incidant,

conf.

conf. Celeb. Stablii diff. de sine mensum initio morborum: id quod iterum tanto facilius & certius contingit, quando ejusmodi persone adhuc vegetæ, bono appetitu præditæ, & in plena atque lauta diæta constitutæ sunt: Posterius quod concernit tunc exempla spontaneorum imminutionum sanguinis, quæ in senibus frequenter occurrunt, nec non testimonia saluberrimorum inde venientium effectuum, abunde comprobant, quod in senibus evidens & præjudiciosa occurrat sanguinis plenitudo: *conf. tract. meus de Hæmorrhoidibus iii. de Hæmorrhoidibus longævitatis causa.* Quanta etiam inseparabilia & eminentia damna ex Hæmorrhoidum talium suppressione oriuntur, probatæ fidei specimina & exempla luculenter & solide testantur: *conf. predictus tract. meus tit. de Hæmorrhoidibus suppressis, & diss. mea de Mictu Cruento:* Perinde ex attenta observatione practica sufficienter elucescit, quomodo homines, qui ob sanguinis majorem copiam in junioribus annis artificiales sanguinis subtractiones admiserunt, quando jam in limine & progressu senii illas omitunt & negligunt, nunc propterea variis fonticis morbidis invasionibus subjiuntur, qui proprio exemplo & sensu experiuntur, quod opinio, quasi senes sanguinem in corpore suo retinere & secundum communem narrationem, coeere debeant, veritati penitus contrarietur: Testantur vero etiam existentiam Plethoræ in senibus multi affectus, quibus nunc talium qualitatatum senes, quales in præcedentibus significavi, submittuntur, velut conatus ad hæmorrhoidum successum & mictum cruentum pertinentes; congestiones ad caput abeuntes & interdum cum aliquo stitilicidie & naribus se ventilantes, in consueti & suspecti dolores capitis, asthmaticæ siccæ afflictiones, in consuetæ gravitas oppleroria exterioris habitus corporis, quæ in juniore periodo ob agiliorem vitam in tali gradu se haud prodidit, spasmi & alternantes tumores semi erysipelacei, supervenientes quandoq; stagnationes sanguinis superficiales, ebullitiones in consuetæ & suspectæ sanguinis, vertiginosæ capitis perurbationes, aut plane apoplectici, hemiplectici & in obesioribus subjectis suffocativi insulcus; quæ singulæ afflictiones rationabilis ex hujus Plethoræ causa, quam ex aliis frigidis præsumptionibus & opinionibus demonstrari possunt: *conf. Excell. Stablii diff. de Senum affectibus thes. 25.* Inde itaque liquet, quod Plethoræ ortus & existentia in senibus variis argumentis sufficienter & solide probari & confirmari queat: Hæc ipsa vera abundantia sanguinis sicut in junioribus rarius quæta aut tranquilla est, ita in senibus perinde vix semper composita, moderata & placida, sed sæpe præjudiciosa & inimica existit: quo magis itaque hæc ubertas sanguinis animi consuetis curis, aut impetuosis af-

festibus, nec non ingestis spirituosis &c. commoveretur, eo magis in quacunq; ætatis periodo illius imminutio sive spontanea sive medica necessaria est: Altera vero nunc excipit quæstio ventilanda, *an e- jusmodi Senibus liceat V. Snem ordinare*: promiscue Senibus sanguinis subtractionem commendare velle, a nullo perito & prudenti viro expectari debet, quare sermo est de talibus Senibus, quibus ex justa cau- sarum deliberatione hoc auxilium proficuum judicari potest: triplex itaq; hoc ordine occurrit connexa quæstio 1) *quibus Senibus V. Sio sit sua- denda* 2) *an illis, qui ante senii periodum nullam V. Snem admiserunt, nunc urgente necessitate hæc species evacuationis sanguinis medicæ ordinanda sit,* 3) *an sanguinis missione addicti homines, senio nunc præsentem illam omittere & negligere queant*: Quoad primam quæstionem, illi Senes ad subeun- dam V. Snem idonei observantur, qui non modo urgente & evidente quadam plenitudine sanguinis pollent, sed & illi, qui citra eminentem talem, sed aliam mitiorem plethoram, multis organicis commotio- nibus, undecunq; provocatis, vel sponte natis, vel ex incongruo re- rum nonnaturalium usu excitatis, expositi sunt: utut enim sanguinis ubertas in nonnullis talibus subjectis haud adeo tumida visitur, tamen repentina talis ebullitio & concurrens vehemens illius moderatioris plethoræ congestio ad ominosa loca perinde lethiferis affectibus, iisque repentinis ansam præbet, qui vel in actuali sanguinis extrava- satione intra cerebrum, vel in magna & subitanea stagnatione in ead- em parte, vel in præcoei opplerione & consequente suffocatione pectoris, vel in grandi stasi & ominosa inflammatione nobilioris vi- sceris consistunt, quarum observationum varia exempla producere possem, si locus & tempus ferrent: Præterea illis etiam senibus V. Sio convenit, qui ante hac in juniore ætate spontaneas hæmorrhagias ex- perti fuerant, in quibus adhuc plethoræ sufficiens gradus observa- tur, tanto magis si aliæ plures causæ concurrunt, quæ eandem san- guinis ventilationem non modo suadent, sed plane urgent: Porro eadem V. Sio conducit senibus, qui artificiali sanguinis depletioni in juventute adsueta fuere *conf. Stablius de fundam. morb. ætat. p. 35.* huc referendi etiam erunt illi senes, quibus ante hac hæmorrhoides legiti- me successerunt, quæ vero nunc vel suppressionem, vel ominosam imminutionem subierunt: maxime vero senibus, vel mediocriter plethoricis, tamen in diætâ lauta, plena & spirituosa viventibus, largioribus computationibus aliquando indulgentibus, libidini quan- doque deditis, aut plane neo nuptis & veneris castra adhuc sequenti- bus, vel animi occupationibus molestis & inquietis obrutis &c. talis sanguinis ventilatio necessaria est: quo etiam non modo illi senes per-

pertinent, qui præsentibus singulis prædictis circumstantiis & qualitibus agilem & valde mobilem, sed & qui sedentariam nunc vitam servant: *Alteram* quod attinet quæstionem, tunc illa videretur altioris & delicatioris esse indaginis: nam illis subjectis, quæ nunquam VSionem subierunt, in senio tandem talem ordinare velle, auidax & anceps potius videri posset experimentum, quam rationale & securum auxilium, quippe quæ alteratio tam sero instituta, ob ipsam senectutis rationem facile in deterius, quam in melius vergere queat, ut adeo regulæ artis & prudentiæ requirerent in tam ambiguo statu tale experimentum magis omittere, quam committere & suscipere: quo vero ratio dubitandi pleniori fide proferatur, non desunt, qui aliqua exempla colligunt & loco terriculamenti afferunt, quæ vero plurimum haud apposite ad substratos casus quadrant, quasi in uno & altero subjecto VSio adhibita causa repentinæ mortis fuerit: qualia exempla illi indiscriminatim allegare sciunt, qui vel peritæ VSioni imperite contrariantur, vel illam ex aliquo evidenti præiudicio averfantur: hujus observationis casus ante sesquicentium contigit mihi in Ducali quodam Consiliario annorum 65. perquam plethorico & sedentariæ vitæ dedito, qui illo tempore per litteras consilium a me petiit, quo insolitæ dolorosæ gravitati capitis & vertiginosæ perturbationis ipsius, quantum fieri possit subveniam, ex multis circumstantiis augurabar proxime instantem apoplexiam, & pro consilio sine mora suscipiendam VSionem, quæ ante hac haud admissa fuerat, ordinabam, afflictus patiens per litteras regerebat dubia contra Venæ Sectionem ordinatam, quæ prædicti erant tenoris, interea ipse corripiebatur leni apoplexia; & sub illa fluctuante & titubante calamo a me petiit cephalicum & nervinum remedium, ego mea responsione denovo VSnis usum commendabam & nervini remedii oblationem denegabam, ne huic posteriori deinde funesti imminentis exitus culpa tribuatur: ast seposito hoc consilio admittendæ VSnis brevi post idem patiens graviori Apoplexiæ gradu percussus, occubuit: Quo vero prædictæ quæstioni satisfaciam, tunc iterum pro discrimine circumstantiarum VSio in senibus prima etiam vice modo instituenda, modo omitienda erit: etenim quando senes in tali plethoræ statu versantur, ut ex singulis circumstantiis funestus metueudus sit affectus, qui alia methodo evitari haud potest, tunc unicum hoc superest auxilium, quo tempestive sanguis ventiletur: id quod subsidium, sicut naturaliter præsentibus quadrat circumstantiis, alia vero auxilia vel magis dubia, vana & præiudiciosa, vel plane nulla superpetunt, hinc ratio & experientia magis ingenuam atque probatam, quam plenarie æquivo-

qui vocam suadent medelam: vanus enim ille est metus, quasi tales senes per V. Snem enerventur, quæ opinio plus timidis fœminis, quam prudentibus & peritis viris familiaris esse potest: Ex præmissis itaque respectibus atque circumstantiis facile judicare licet, quod omnino ex sobriæ rationis & probatæ observationis suffragio in casu necessitatis adhuc opportuno tempore senibus, quamvis nunquam sanguinis imminutionem ipsi perpeffi fuerint, V. Snem ordinare liceat imo deceat: quod conclusum diversis præcticis observationibus confirmare possem, si ratio & spatium præsentis instituti permitteret: Dantur interim senes, qui observata accurata diæta, animique moderatione, sub reliqua corporis obesitate & statu præsentis plethorico sanguinis missione haud opus habent: interim vicissim meæ provisioni medicæ auscultantes alios senes, non eminenter plethoricos, & subinde per intervalla hæmorrhoidarios recensere possum, qui in senectute demum susceptam V. Snem ultra septuagesimum ætatis annum cum optima euphoria continuarunt, & adhuc vegere vivunt: *Tertiam* denique quod spectat quæstionem, an illi homines, qui in juventute V. Snem cum sanitatis emolumento admiserunt, illam nunc sub senio omittere & negligere queant? tunc primo remotive regerere necesse duco, ut iterata, brevi tamen emphasi falsissimam illam indicem opinionem, quasi omnes senes indifferenter sanguine magis egeant & careant, quam abundent, ubi a decrepitis, emaciatibus & enervatis senibus ad alios sine necessario iudicii acumine aliquando argumentatio instituitur: deinde non nisi illo senio confecti homines enervantur, qui minus plethorici, sed potius exsuccati & viribus jam quadantenus exhausti observantur: neque ullo modo senes plethorici impotentes redduntur, quando sanguinis necessariam experiuntur imminutionem, siquidem vicissim aliquando sanguinis plenitudo causa sterilitatis, & congrua superflui sanguinis ventilatio in nonnullis utriusque sexus personis, causa fœcunditatis fuit: quare obsoleta illa opinio, quod V. Sio senes promiscue frigidos & languidos reddat, a peritis medicis plane non amplius attenditur: positive vero ad hanc quæstionem reponens, omnino senibus adhuc plethoricis aut in prædictis qualitatibus constitutis, quas supra jam commemoravi, V. Sio citra ullum præjudicium continuari potest: unde *Celeb. Stahlus disp. de V. Snis Patrocínio p. 38.* dicit, quod senibus V. Sni ad suæ succulentis vegetis ad so. usque animum illam continuare minime noxium, sed, contrarium vero, communiter: hæc observatio uti absolute practica est, ita variis notari dignis exemplis confirmari posset; e diversis pauca tantum de utroque sexu testimonium perhibentia recensere lubet: Sa-

cer.

cerdos quidam sanguineo-cholerici temperamenti, animo & corpore vegetus in junioribus annis frequentioribus narium hæmorrhagiis obnoxius, nunc sub reliqua mediocri diætâ & obeso corpore à trigésimo ætatis anno bis per annum V. Snem & quater scarificationem cum optimo sanitatis emolumento perpessus erat, attigit ipse annum 65, sub reliqua virium & corporis alacritate moderata, interim hoc anno ex eadem plebeja opinione seductus, scarificationes penitus omisit, V. Snem vero non nisi parcam admisit, sed exeunte illo anno citra datam conspicuam causam impulsivam gravi peripnevmonia correptus fuit, sub qua ipse etiam vitam amisit: Alter casus mihi obigit in vidua honesta sanguineo-melancholici temperamenti, quæ in diætâ quidem plena, ast non admodum lauta, vixit, hæc a teneris repetitis ventilabatur narium hæmorrhagiis salutaribus, postea non modo sufficienti & liberali menstruo, sed duodecies largo lochiali purgabatur fluxu; abhinc post quinquagesimum annum quotannis V. Snis usum cum optima subiit euphoria; imo contigit, ut postaliquam hujus artificialis imminutionis sanguinis retardationem capitis dolores cum consequente mediocri narium hæmorrhagia ipsa experiretur, continuata vero eadem V. Sne usque in sexagesimum octavum annum tolerabili integritate sanitatis eadem levaretur; abhinc illa partim ob accrementum senectutis, partim ob aliquod tædium aliquandiu præter solitum sanguinis ventilationem omisit, inde mox podagricis, nephriticis, asthmaticis & cephalalgicis cruciatibus affligebatur, aliquando etiam actuales narium hæmorrhagias, licet imperfectas, denuo experiebatur, quæ pathematum conversio duravit usque ad septuagesimum annum, hinc V. Sio iterum usque ultra octogagesimum annum cum euphoria, huic ætati competens, repetita & continuata fuit; hæc mulier vero vitæ finem anhelans & ex V. Snis repetito usu sui voti frustrationem metuens, tandem destinato consilio sanguinis ventilationem penitus omisit, quæ brevi post suffocativo extincta fuit catarrho: Possem si spatium permitteret, pluribus exemplis salubritatem V. Snis in senili ætate testari, pauca tamen demonstratione hanc, alias intricatam & ominosam, therapiam proponere & ulteriori scrutinio, suffragio, supplemento & confirmationi commendare volui, siquidem eandem observationem practicam *Celeb. D. D. Stablius* loc. sup. cit. præcipue vero in *dissert. de Affectibus Sentum thes. 34. seq.* fusius ventilavit; de qua secunda & salutari V. Snis ordinatione in senibus testantur *A. N. C. dec. 1. an. 2. obs. 222. dec. 3. an. 10. obs. 198. Cent. 5. obs. 87.* mihi cæteroque sub proprio officio practico exempla

stant, ubi personæ utriusque sexus a sexagesimo usque ultra octoagesimum annum cum evidenti sanitatis adjumento V. Snem & temperamento & ætati congruam subierunt: Sed proprio ad illam rationem & causam, ob quam de præsentia observatione succincta disquisitione differere placuit, lubens specialiores animadversiones hoc loco omisi, easque aliorum meditationi insinuare volui, siquidem facile secundum præmissa fundamenta peculiaris dissertatio de hac utili consideratione exarari potuerit: & quamvis hoc loco hacque occasione mihi antea animus fuerit, de fructuoso & pernicioso Mercurii dulcis usu in praxi medica nonnullas scitu dignas observationes, cum præsertim dissertatione proximius coherentes, præmittere, tamen alia intercurrit ratio, ob quam præsens thema practicum aliquo modo exponere & commendare dignum mihi visum fuit:

Ad hanc prælusionem medicam ansam mihi præbuit præsens disputatio & publica conjungenda commendatio

DOMINI JOHANNIS HAVIGHORST

MEDICINÆ CANDIDATI DOCTISSIMI DIGNISSIMIQUE.

Qui per Dei gratiam honesta natiuitate in vitam introiit A. C. MDCCII. d. i. Jan. Rhene juxta Amasum, urbis monasteriensis Episcopatus, Genitore Viro Nobilissimo & amplissimo *Johanne Havighorst* mercatore Evangelico-Reformata Religioni addicto tum temporis ob singulare quoddam privilegium in illo loco sua tractante negotia; Generatrice honestissima *Anna Christina Metringb., B. Meno Mettingb.* in oppido Ibbenbura, quod Comitatus Lingensis continet, mercatoris dilectissima ornatissimaque filia: ab hoc loco patrio Candidatus noster cum honoratissimis suis parentibus An. 1703 discessit & Ibbenburam se contulit, hinc sub eodem comitatu An. 1710. Bisterfeldam arcem Lippia, ubi Illustrissimus Comes Lippia Rudolphus locum sedemque tenet, abijt; in hoc loco per biennium sub fidei manu ductione Venerandi Domini *Boehme*, cui illo tempore junioram Illustr. Dnn. Comitum hodegia in studiis politioribus demandata & concedita fuerat, prima in latina lingua jecit fundamenta; cujus viri sinceram & solidam in formationem multa laude grataque concelebrat reminiscencia: posteaquam vero ipse An. 1712 Ibbenburam reversus est gratissima ibi ipsi affulsit occasio, ut sub fida isagoge *D. Junckeri* nunc Medicinæ Doctoris & Pædagogii Regii atque orphanotrophei, quod Glaucha ad Halam nostram est, Practici Clarissimi, Experientissimi meritisimique, nec non *Dn. Cramerii*, postea Medicinæ Doctoris & Illustr. D. Comitum Reuls Graiza-Variscorum, Archiatri *vñ év a'y lois* in humanioribus studiis ad altiores euectus & promotus fuerit gradus: Exandato aliquo temporis spatio Anno 1714, ad Pædagogium hujus loci missus in excellendis

dis sobriis scientiis & artibus liberalibus strenuam navavit operam: quadriennio transacto An. videlicet 1713. in patriam revocatus fuit, ibique fidelissima fravissimaque institutioni Pranobilissimi & Clarissimi *Domini Gerlacii* consobrini & inter ceteros amici & delecti & dilecti se submisit, indeque nunquam penitendos, sed exoptatissimos collegit & accumulavit fructus: Anno 1719. studiorum excolendorum gratia Vesaliam ad Rhenum se transtulit, ubi sub cultura jam beati *Domini Reitz* suorum studiorum maturitatem profectus est, cujus pii & ob integritatem vitæ venerabilis viri multa beneficia & benevolentiam gratissima memoria recollit ejusque cineres propterea eadem grata mente veneratur: Subinde etiam benevolam affectum cum varia beneficiorum collatione complicatum Experientissimi *Dn. D. Fridr. Pickeri* Medicinæ Practici ejusdem loci dexterrimi venerabundo deprædicat animo, a quo, æque ac honoratissima ipsius conjugæ multiplicia benevolentia specimina & testimonia ipse expertus est; quorum hoc loco ipse etiam obstricto & sincero reminiscitur affectu. An. 1720. cum honoratissimo & dilectissimo suo Domino Consobrino *Gerlacio* Budingam ibique Experientissimum *Dn. Lic. Carl* adiit, ibique prima in arte salutifera eademque sobria moderna jecit fundamenta, quo loco insuper manuducente Professore Publico & Scholæ Budingensis Rectore *Domino Pelfio* Viro reverendo, cujus eximiam eruditionem & integram probitatem, ipse extollit, in exercitio styli ulteriores exoptatos fecit progressus. Præter spem vero ipsi iterum contingit, ut denuo Anno 1721. Halam nostram accesserit, ibique tota cura & indefessa applicatione Medico studio operam impendere susceperit: Interfuit itaque publicis, iisque practicis lectionibus Excellentissimi *Domini D. Hoffmanni* Senioris Collegii nostri Spectabilis: deinde Excell. *Dn. D. Coschwützi* anatomicis exercitationibus sedulus adfuit spectator; siquidem ipse tribus publicis lectionibus & diversis privatis inspectionibus anatomicis assiduum se præbuit comitem & attentum observatorem: indefessa & attenta etiam acroasi per universonum studii Medici cursum, me præeunte & manuducente solidos arque laudabiles sibi comparavit profectus, dum Physiologiam, Pathologiam, Materiam Medicam, Semiologiam, Therapiam, Methodum conscribendi formulas, Praxin universalem & Chymiam profitentem me constanti tenore & attenta auscultatione suorum studiorum applicuit acremento; Subinde apud Experientiss. Prof. Med. Extraord. *Dn. D. Bassium* in Anatomia & Chirurgia haud penitendos, sed satis profectos fecit progressus & propterea elegantiores & majores acquisivit profectus: Cum hoc Medico studio eadem sedula mentis applicatione combinavit Philosophiam inque illa Lectionibus Logicis Excell. *Dn. Prof. Schneideri*, Metaphysicis opinionibus & physicis demonstrationibus Celeb. *Dn. Wolfii* percipiendis, meis etiam logicis, physicis & disputatoriis laboribus interfuit; præterea ætivo tempore botanico studio, citra tamen magis necessariarum disciplinarum philosophicarum

&c

& medicarum dispendium, operam dedit, præterea repetitis publicis oppositionibus studiorum suorum profectus satis fido & eleganti probavit documento: Denique à prælaudato Experientissimo & Clarissimo *Dn. D. Junckero* laudabilium, fructuosarum & fidarum institutionum atque manuductionum practicarum particeps factus fuit, cujus Viri candorem & benevolentiam etiam hoc loco gratissimo animi affectu prosequitur; eodem etiam tempore Deo ita dirigente de-
nuo contigit, ut laudata sui Domini Consobrini *Gerlaci* compellatione & amica atque docta conversatione, nec non aliquali in chymicis ulteriori promotione & applicatione frui ipsi licuerit: His ita cum Deo peractis, tandem, jussu Honorarissimorum suorum parentum Academicis studiis dicere vale proposuit, posteaquam ipse ultra triennium in Regia hac Academia sub bonorum & honestorum morum cultura, modestiæ, industriæ, sobrietatis, sinceritatis & probitatis usu laudandos studiorum acquisivit fructus, hocque modo amicorum & fautorum suorum sibi conservavit benevolentiam: Ne vero ita solus ab hac discedat Academia, hinc ab Ordine nostro publicum aliquod symbolum modesta petiit compellatione, quo sub divina benedictione in posterum ordinaria via & Academico privilegio instructus Medicæ arti ea, quam Deus dabit dexteritate & prosperitate, incumbere queat: Et cum ipse consvetis tentamine & Examini bus solidos & publico tali honore perquam dignos studiorum gradus & profectus sufficienter comprobaverit, patefacta ipsi fuit via publice conscendere cathedram & Dissertationem, quam ipse proprio & prospero exaravit conatu & Studio, *de Singulari Mercurii Dulcis usu in desperatis quibusdam morbis*, ventilare: vix ullum nos angit dubium, quia præfens Candidatus dignissimus sub constanti divinæ gratiæ exoratione prosperrimos in re medica sit facturus progressus, cui etiam quamlibet almæ benedictionis ubertatem fauente apprecamur affectu: Instat itaque dies cum Deo constitutus XXVII. Septembris, quo ipse solenni actu Inaugurali suam defendet dissertationem. Ad quem actum Academiae nostræ Magnificum *Dn. Pro-Rectorem*, Illustrissimos, Illustres, Summe Reverendos, Excellentissimos, Amplissimos, Consultissimos, Experientissimos, Nobilissimos, Doctissimos, Collegiorum Proceres, Senatores, Cives, Hospites, quibus par est, officiis, humanitate & veneratione suspiciendos demerendosve, officii nomine invito
P.P. Sub Sigillo Facult. dab. Halæ VI. Kalend. Octobres.

A. O. R. clō 17cxxxiv.

(L. S.)

ULB Halle
002 815 230

3







Anguis mitiones a variis op diversos resp. sus con-
comitantur & con leantur, quoniam proinde huius
est effectus, quod in mitione huiusmodi huius
tionis huius, proinde vero huius huius huius
in eadem huiusmodi vel huiusmodi huius huius
copiam huiusmodi huiusmodi huius huius huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius

2
1724 19
1

D. MICHAELIS ALBERTI,
POTENTISS. REG. PORUSSIAE CONSILIARII AULI-
CI MEDIC. ET PHILOS. NATUR. PROF.
PUBL. ORD. ET H. T. DECANI,

PROEMPTICUM IN AUGURALE
DE
**VENÆ SECTIONE
SENUM.**

huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius
huiusmodi huiusmodi huiusmodi huiusmodi huius